



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Friderici Forneri Theologiae Doctoris Canonici Ecclesiae
Collegiatæ diui Stephani Bambergæ, De Temulentia
Malo, Eiusque Remediis, Variis Item Scitu Iucundissimis,
nec non vtilissimis de rebus, quæ in ...**

Förner, Friedrich

Ingolstadii, 1603

Cap. XXXI. Virilis ætas quoq[ue], vino moderatè vti debet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45433

periret. Nec non & alibi, in hanc sententiam sic loquitur: *Non Ethnei ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius & Olympus, tantis ardoribus aestuant, ut iuueniles medullæ, vino plene, & dapibus inflammata.*

Quæ cum ita sint, nemo miretur, Germanam iuventutem ad eam corruptam esse, quod ab ineunte ætate, parentes vino ipsam imbuant, ut quodammodo in vino nata, in vino educata, dici possit.

CAPVT XXXI.

Virilis ætas quoque vino moderatè uti debet.

Non omninò reiiciendum Platonis illud dogma, quod aliqui, nimium licetiosè, ad luxum, sed perperam facto, detorquere voluerunt: *Iuvenes, ait, cum ad annum quadragesimum peruenerint, tunc in conuiujs liberius discumbentes, cum alios Deos, tum Dionysium, ad sacra senum, & ludos, inuocent, qui hominibus vinum, quasi remedium aduersus senectutis duritiem est largitus, ut reiuuenescere videamur, & mœstitiæ nos obliuio capiat, ipsaque affectio animi, sicut ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta, flexibilior fiat. Non inquam contemnendum. Nam Platoni statutum non est, virilem ætatem, ebrietatibus ac temulentis imbuere, sed quod ei vino liberius, quam pueritiæ, quam adolescentiæ liceat uti, docere. Immoderator enim vini vsus, si Aristoteli credimus, præsertim calidioris, & potentis, quo nunc pleriq; locupletiores, mensas suas ornari volunt, labefactat mentem & ingenium, ac virilem protinus eneruat vigorem. Contra, si moderatè sumatur, concoctionem iuuat, cor exhilarat, cerebrum roborat, spiritus animales fouet,*

Lib. 2. de Legib.

Explicata Platonis verba.

Sec. 3. Probl. 30,

Y 3 sua-

suauem somnum conciliat. Hinc memoriam & intelligentiam adauget, sensuum implexam habitudinem reddidit puriorem, excitat animum ad altas speculationes.

Grandiorum vinorum usus dissuadetur.

Grandia sanè vina, & fortia, medicorum testimonio, etiam si stomacho videantur principio gratiora, mox tamen, tractu temporis relaxant, ac in marcorem deducunt multos, vel in ardentibus febres, vel lethales, hepatis, aliorumque viscerum, gignunt inflammationes. Nec mirum. Primo quippe occursum suum in ventriculo, excitant calore suo, sollicitatque, quæcumque alimenti succum, siue bonum, siue malum, quam citissime ad iecur, atque inde ad diuersas venas transire, vnde facillime ipsa viscera incenduntur, fitis inar-

Capiti nocent & stomacho fortia vina nimium bibita.

descit, obstructions exurgunt. Quod & illud accedit, quod generosiora vina, quæ Medicis magis calorifica dicuntur, quantum ex tempore iuuant ventriculum, sui naturæ frigidum & humidum, tantum in processu, si nimium, vt nobis Germanis moris est, potentur, & lædunt, & inde capiti grauissimè obstruunt ac nocent; tum sui qualitate vaporosa & calida, quæ opplet ac dissoluit substantiam cerebri; tum quia virtute sua exhalans ad caput, quidquid in corpore & humoribus concretum, & crassum reperitur, id liquat, quodammodo, instar ceræ ad ignem, & in memoriam vaporum copiam conuertit; qui coaceruati, in ventriculis quasi, accellulis cerebri, omnigenos, effluxionibus periculosissimis, causant morbos, Synanches, destillationes, quos Catharros vocant, hæmorrhoidas, sanguinis profluua, articulares morbos, Ophthalmiã, Peripneumonias, pleuritides.

Morbi enim nimio ac fortiori vix non existentes.

Atque hæc non ex mea, sed omnium passim Medicorum sententia putentur allata. eò potissimum, vt & ætatis maturæ viri, sibi à nimio temperare vino perdiscant, si diu se superstites velint, atque incolumes.